

**A**CTIONES nostras, quæsumus Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere: ut cuncta nostra operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

**A**UFER a nobis, Dómine, cunctas iniquitates nostras: ut ad Sancta sanctorum puris mereámur méntibus introíre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

**D**OMINUS sit in corde meo, et in lábiis meis ad pronuntiándum sanctum Evangélium pacis.

**Q**UID retribuam Dómino pro ómnibus, quæ retribuit mihi? Cálicem salutáris accípiam, et nomen Dómini invocábo.

**S**USCIPE sancta Trínitas hanc oblatiónem, quam tibi offéro in memóriam Passiónis Dómini nostri Jesu Christi: et præsta, ut in conspéctu tuo tibi placens ascéndat; et meam, et ómnium fidélium salutem operétur ætérnam.

**I**N spírítu humiliátis, et ánimo contríto suscipiámur Dómine a te: et sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiátur hódie, et pláceat tibi Dómine Deus.

**O**RATE fratres, ut meum, ac vestrum páriter in conspéctu Dómini sit accéptum sacrificium.

**Q**UI pridie quam paterétur, accépit panem in sanctas, ac venerábiles manus suas; et elevátis óculis in cœlum, ad te Deum Patrem suum omnipoténtem, tibi grátias agens, bene✠dixit, fregit, deditque discíplis suis, dicens: Accípíte, et manducáte ex hoc omnes.

### **HOC EST ENIM CORPUS MEUM**

**S**IMILI modo, postquam cœnátum est, accípiens et hunc præclárum Cálicem in sanctas ac venerábiles manus suas; item tibi grátias agens, bene✠dixit, deditque discíplis suis, dicens: Accípíte, et bíbite ex eo omnes.

### **HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI: MYSTERIUM FIDEI: QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM.**

Hæc quotiescúmque fecéritis,  
in mei memóriam faciétis.

**S**UPPLICES te rogámus, omnípotens Deus, jube hæc perférri per manus sancti An-

geli tui in sublíme altáre tuum, in conspéctu divínæ majestátis tuæ: ut quotquot ex hac altáris participatióne sacrosánctum Fílii tui Cor✠us, et Sán✠guinem sumpsérimus, omni + benedictióne cœlésti, et grátia repleámur. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

**H**ÆC sacrosánctæ commíxtio Córporis et Sántguinis Dómini nostri Jesu Christi fiat mihi et ómnibus suméntibus, salus mentis et córporis: et ad vitam ætérnam promeréndam atque capesséndam præparátio salutáris. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

**D**OMINE Jesu Christe, Fíli Dei vivi, qui ex voluntáte Patris, cooperánte spírítu Sancto, per mortem tuam mundum vivificásti: libera me per hoc sacrosánctum Corpus et Sántguinem tuum ab ómnibus iniquitatibus meis, et univérsis malis: et fac me tuis semper inhærére mandátis, et a te nunquam seperári permíttas: qui cum eódem Deo Patre, et spírítu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculórum. Amen.

**P**LACEAT tibi sancta Trínitas obséquium servitútis meæ, et præsta, ut sacrificium, quod óculis tuæ majestátis indignus óbtuli, tibi sit acceptábile, mihi que, et ómnibus pro quibus illud óbtuli, sit te miseránte propitiábile. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.


**L**AVABO inter innocéntes manus meas: et  
circumdábo altáre tuum, Dómine:

**U**T aúdiam vocem laudis, et enárrem uni-  
vérsa mirábília tua.

**DOMINE**, diléxi decórem domus tuæ et lo-  
cum habitatiónis glóriæ tuæ.



**Q**UOD ore sumpsimus, Dómine, pura  
mente capiámus: ut de Córpoze et Sán-  
guine Dómini nostri Jesu Christi fiat nobis  
remédiu[m] sempitérnu[m]. Amen.



## INITIUM SANCTI EVANGELII SECUNDUM JOANNEM.

**I**N principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil: Quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hominum: Et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehendunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: Qui non ex sanguinibus, neque ex ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. **ET VERBUM CARO FACTUM EST**, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis..